Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31638
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

custodire nimis. Dixerat beatum esse cui hec talia suffragantur. ut sit inmaculatus. ambulet in lege domini. scrutetur testimonia eius. et quod est perfectissimum uiuendi genus. in toto corde exquirat dominum. Et ne hec tanta neglegenda uiderentur. sequitur iussionis dominice ueneranda preceptio. ut mandata eius non solum sedule sed et nimie requirantur. Nimius enim dictus est in nulla re dubius. qui propositę rei intentus semper assistit. Ubi est sententia gentilium toto orbe celebrata. Ne quid nimis. Ecce nimium nobis auctoritate precipitur. ecce a moderatore rerum omnium sine defectu aliquod fieri debere sancitur. Istud enim nimis significat multum atque infinitum. sicut et in alio psalmo dicit. Nimis profunde facte sunt cogitationes tue. Et alibi. Nimis exaltatus est super omnes deos. Siue mandata domini nimium custodire precipimur. quando ipsi quoque saluti nostrę corporeę. ea preferre debere censemus. Quapropter uires nostrę possibilitatis excedere. diuina milicia est. quia totum ibi nimium decet. quoniam et illud infinitum est. quod nobis tribui postulamus. Perquirenda est quoque nominum istorum distincta cognitio. ne quis ea credat esse confusa. In priori uersu dixit. legem domini. Lex autem domini sicut apostolus ait. umbra est futurorum. quoniam non decet ad litteram sed spiritali ordine custodire. ut uerbi gratia lex sacrificiorum. obseruantia nouiluniorum. ritus circumcisionis. et cetera huiusmodi. que typum magis quam speciem certum est habuisse ueritatis. Secundo uersu ponit testimonia. Testimonium est euidens et perfinita conditio. cuius statuto commoniti. res preteritas non possumus obliuisci. ut in genesi ait iacob. Testimonium erit uobis collis iste. et testimonium erit lapis iste. Scriptum est etiam et in libro ihesu naue. XII. lapides afferte de medio iordanis.

ut sint hii in testimonium filiis israel. Et rursus. Sic nobis precepta diuina testimonia sunt. quando commonent ne peccare debeamus. sicut et apostolus paulus ait. Testificor coram deo qui uiuificat omnia. et ihesu christo. et electorum angelorum. ut hec custodias. In presenti quoque uersu mandata posuit. que non sunt umbra futurorum ut lex. sed presentem habent manifestę operationis effectum. Quod dominus absolute in euangelio declarat dicens. Primum mandatum est. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo. et ex tota anima tua. et ex tota uirtute tua. et cetera. Hoc enim sic indictum est. ut ab omnibus debeat et per cuncta tempora custodiri. Quapropter siue lex. siue testimonia. siue mandata domini custodiantur. ad beatitudinis certum est munera perueniri. Que uerba cum predictis definitionibus suis mente condenda sunt. quia in subsequentibus uersibus frequenter ea posita repperimus. Utinam dirigantur uię meę. ad custodiendas iustificationes tuas. Cum uitam superius beati uiri euidenter expresserit. nunc etiam propheta fidelis bonorum sibi peruentum uotis intercedentibus postulauit. Utinam. uerbum semper optantis est. ut quod nostris non possumus uiribus adipisci. diuina misericordia largiente mereamur. Cum dicit dirigantur uię meę. ostendit eas quantum ad humanam imbecillitatem pertinet tortuosas. Uię meę actus significant. quos in hac uita peragimus. Addidit. Ad custodiendas iustificationes tuas. Hic iam quod superius optauit aperuit. Ad custodiendas enim iustificationes domini. nemo poterit peruenire. nisi cuius uię a domino dirigi comprobantur. Sed discutiamus quid significent iustificationes. Iustificationes igitur domini apud priscum populum fuerunt multę atque diuersę. ut sex annis tantum famulus seruiret hebreus. filius affectu et disciplina patris erudiretur. pater ut